

# EPISTULA LEONINA

## LV

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS V-LIV INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

**MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.**

**ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.**

**EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
 QUINQUAGESIMAM QUINTAM (55) !**

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS**

**SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam quinquagesimam quintam. Tales epistulas soleo mittere ad duo ferê milia hominum Latinê doctorum, idque **gratis** et **sine ullâ obligatione**. Multi donati gaudenter gratias agunt et commendant Epistulas Leoninas amicis suis. At interdum fit, ut accipiam litteras vernaculo sermone asperiore scriptas, quales sunt hae (quas Latinê reddo): "Quid tibi in mentem incidit, ut mihi mitteres istud periodicum ineptissimum? Nomen meum statim tolle ex indice distributionis! Postea mihi nuntia te nomen meum sustulisse!" Non mirarer, si talia verba scriberent homines linguae Latinae imperiti. At – incredibile dictu! – litteras tam aculeatas interdum accipio ab hominibus officio suo scripta Latina tractantes, i.e. a magistris et professoribus linguae Latinae! Dicitur quidem in proverbio de gustibus deque coloribus non esse disputandum. Sed quid dicendum est de Latinistis scripta Latina nisi classica generaliter respicientibus? Interdum Latinitatis maximi detrectatores videntur esse ii, quibus ipsâ professione mandatum est, ut illam colerent foverentque. O praeclaros ovis custodes lupos !*

*Tu autem, Lectrix benevola, Lector benevole, utinam quam plurimê helluaris lectione huius Epistulae Leoninae quinquagesimae quintae. Ei inest quaedam fabula a Ferdinando illo theodiscê scripta, a me Latinê reddita, cuius argumentum quamvis sit triste et formidulosum, tamen spero tibi haud inutile fore incitamentum mores hominum indolemque considerandi.*

**Pancraticê vale et perge mihi favere!**

**Medullitus Te salutat**


**Nicolaus Groß  
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Lunae, 9. m.Sept. a.2013**



**ΤΟΛΜΗΣΟΝ ΦΡΟΝΕΙΝ  
SAPERE AUDE !**

**AESCHYLUS  
(525-456)**

FERDINANDI A SCHIRACH

# SCELERA

## FABULAE

Quas in Latinum convertit

NICOLAUS GROSS

Titulus originalis: „Verbrechen. Stories“.

München (Piper Verlag) 2009

*Realitas, de quâ loqui possumus, numquam est realitas ipsa.*

(Varnerius C. Heisenberg)

### Praefatio

*Iacobellus (Jim) Jarmusch* aliquando dixit se malle cinema facere de viro aliquo, qui cum cane suo ambularet, quam de summo Sinarum Imperatore. Equidem planê idem sentio quod ille. Scribo enim de causis poenalibus, in quibus defensor fui plus septingentis. At propriê scribo de homine, de eius consiliis ad vanum redactis, de eius culpâ et magnitudine. Fuit mihi avunculus iudex iudicio iuratorum praesidens. Talia iudicia pertinent ad delicta necandi, homicidia et homicidia casualia. Qui nobis narrabat de casibus, quos nos parvuli intelligeremus. Quos enarrare semper incipiebat verbis quae sunt: «Pleraeque res sunt intricatae, necnon de culpâ difficile est iudicare».

Qui rectê dixit. Res persequimur, quae nobis sunt celeriores, et denique easdem non assequimur. Narro de homicidis, drogopolis, raptoribus argentariae, meretricibus. Qui habent sua fata, nec multum differunt a nobis. Per totam vitam nostram saltamus super tenue stratum glaciale, cui subest aqua frigida, in quam qui incidit, rapidê moritur. Nonnulli, qui glacie non feruntur, ruptâ incidunt. De momento temporis, quo hoc fit, scribere meâ interest. Si nobis res succedit feliciter, hoc non accidit, et nos pergimus saltare. Si quidem feliciter.

Avunculi autem mei, iudicis illius, in bello cum esset miles maritimus, brachium sinistrum et manus dextra abreptae erant granato disploso. Îdem tamen diu non desperavit. Dicitur enim fuisse iudex bonus,

humanus, vir sincerus atque iustus. Qui libenter venabatur, cui erat parvum cynegesium. Aliquo autem mâne in silvam iit, duplici fistulâ focilis sui ori ingestâ trunco bracchii dextri manuclam repressit. Qui gestavit thoracem laneum collari volubili instructum, iacculam e ramo suspenderat. Eius caput est discissum. Multo post vidi imagines huius mortis. Avunculus reliquit brevem epistulam, quâ ad amicum optimum scripserat se planê satis habere. Quae epistula incohata est his verbis: «Pleraeque res sunt intricatae, necnon de culpâ difficile est iudicare». Quem virum adhuc desidero. Cottidie.

De talibus hominibus eorumque historiis agitur hîc libro.

### De Fâhnero

*Fridhelmus Fâhner* per totam vitam suam fuerat medicus practicus Rotovillensis, qui in anno inscripserat schedas aegrotorum binas millenas octingenas, cuius medicatrina ad Viam Principalem sita erat, qui fuerat praesidens circuli cultûs civilis Aegyptii, membrum Coetûs Leonum, qui nulla umquam deliquerat facinora poenalia, nullo umquam modo legem transgressus erat. Praeter domum suam possederat duas domos conducticias, autocinetum Mercedesianum classis E triennio ante constructum, indumentis coriaceis et temperaculo automatico instructum, aliquot septingenta quinquaginta milia euronum per sortes et obligationes condita et assecurationem vitae capitalem. Fâhnero non fuerunt liberi. Nullus ei fuit cognatus nisi eius soror sex annis minor natu, quae unâ cum marito et duobus filiis vivebat Stutgardiae. Itaque propriê Fâhneri vitae nihil infuit narratu dignum.

Exceptâ illâ re, quae facta est de Ingride.

Fâhner Ingridem cognoverat 24 annos natus, cum celebraretur patris sui dies natalis. Etiam Fâhneri pater fuerat medicus Rotovillensis.

Rotovilla est oppidum vetustâ civilitate insigne. Rotovillani cuivis extraneo quamvis non interrogati explicant oppidum suum a Stauferianis conditum esse totius Badenio-Virtembergae vetustissimum. Reverâ hîc inveniuntur podia mediaevalia necnon belluli tituli tabernarum propenduli saeculi sexti decimi. Gens autem Fâhnerorum iam semper hîc in oppido habitavit. Eadem referebatur inter oppidi gentes, quae dicuntur priores, ex eâdem oriundi erant medici, iudices, pharmacopolae spectatissimi. Fridhelmus Fâhner formâ quadamtenus similis erat iuveni *Iohanni F. Kennedy* praesidi quondam Americae. Îdem facie erat comi, habebatur pro viro securo, res ei feliciter succedebant. At cum aliquis eum intentius aspexerat, in vultûs Fâhneri lineis animadvertibat aliquid triste et

vetulum et obscurum, quale in hac regione inter Silvam Nigram et Alpim Suebicum sitâ haud raro invenitur.

Ingridis parentes pharmacopolae Rotovillani, filiam suam ad sollemnitatem adduxerunt. Quae erat triennio maior natu quam Fâhner, formosa et mammosa femina solida provincialis. Quae, ut erat oculis caeruleis, capillis nigris, cute pallidâ, bene sciebat, quantum ad viros valeret. Fâhner autem quodammodo perturbatus est voce Ingridis mirê altâ et metallicâ, omnis moduli experti. Sermo enim huius mulieris nullâ erat melodiâ, nisi eadem loquebatur submissê.

Ingridis scholâ reali sine examine relictâ officium gerebat copae. Fâhnero dixit se hoc facere "ad tempus". Quod is non flocci fecit. Illa enim Fâhnero in aliâ provinciâ vitae, qua îdem magis delectabatur, multo antecedebat. Nam Fâhner usque illud tempus duos tantum et breves habuerat amores mulierum; quibus potius incertior factus erat. Îdem statim captus est amore Ingridis.

Biduo post sollemnitatem cenulâ subdiali factâ Fâhner ab Ingride seductus est. Cum in casâ concumbebant, Ingridis agebat peritê. Fâhner vehementer excitatus iam septimanâ post eam rogavit, ut sibi nubere. Illa autem sine morâ assensa est: Nam Fâhner erat condicionis (ut dicitur) bonae, qui Monaci studebat medicinae pernoscendae, speciosus, amabilis, primum examen subiturus. Praesertim autem Ingridis attracta est illius animo constanti. Eadem hanc rem verbis nescivit exprimere, sed amicae dixit, se a Fâhnero numquam desertum iri. Quattuor mensibus post Ingridis apud Fâhnerum habitavit.

Iter autem nuptiale fecerunt in Cairum caput Aegypti. Quod Fâhner exoptaverat. Cum postea interrogabatur de Aegypto, dicebat hanc terram esse molestiae expertem, quamvis sciret neminem hoc intellegere. Fâhner ibi similis fuit *Parsifalo* iuveni, purê simplex, et fuit felix. Quae felicitas fuit Fâhneri ultima.

Vespere antequam redierunt in conclavi deversorii concumbebant. Fenestrae erant apertae, adhuc calores erant nimii, aer in parvo conclavi erat constipatus. Deversorium erat minoris pretii, olebat poma putrida, e viâ infra sitâ strepitus audiebatur.

Adversus tempestatis fervorem inter se coierant. Fâhner supinus cubans observabat ventilabri lacunaris rotationes, Ingridis sigarellum fumabat. Quae se semovit, caput manu nixa illum aspectavit. Qui subrisit. Diu tacebant.

Deinde illa coepit narrare. Ingridis narravit de viris, quas habuerat ante Fährnerum, quomodo spes sua decepta esset et quomodo erravisset, praesertim de quodam Francogallo succenturione superiore, a quo gravida esset facta, et de abortione, qua paene interfecta esset. Ingridis lacrimavit. Fährner territus illam amplexus est. Ad pectus sensit cor Ingridis pulsans, quo plurimum sollicitaretur. Illam esse sibi mandatam cogitavit.

»Debes iurare te semper me protecturum esse. Non licet tibi me deserere«. Vox Ingridis tremebat.

Fährner commotus illam tranquillare volens dicebat se hoc iam in ecclesiâ in nuptiis iuravisse, se felicem esse illâ, se velle...

Illa autem Fährneri sermonem durê interruptit, illius vox maior facta est, nunc vox erat metallica, coloris expers. «Iura hoc!»

Subito autem Fährner intellexit. Hoc non esse colloquium inter se amantium. Ventilabrum, Cairus, pyramides, fervor conclavis deversorii, omnes res, quibus commonebatur itineris desiderati, subito e Fährneri conscientiâ abrepta sunt. Illam paulo a se semovit, ut oculos Ingridis inspiceret. Deinde dixit illud. Quod dixit lentê conscius, quid diceret. «Iuro hoc».

Illam ad se retraxit, illius faciem osculatus est. Iterum inter se coierunt. At nunc res aliter facta est. Mulier viro insidebat, sumebat quidquid volebat. Unus alteri videbatur gravis alienus solitarius. Mulier coitum patrans virum alapavit. Is postea adhuc diu vigilans iacuit lacunar aspectans oculis torpidis. Fluentum electricum cum defecisset, ventilabrum non iam movebatur.

Scilicet Fährner examen superaverit notâ optimâ, in doctorum numerum promotus est, primum munus suscepit in nosocomio Rotovillae circulari. Invenerunt habitaculum tribus conclavibus et balneo instructum, e quo conspectus fiebat ad marginem silvae.

Cum Monaci supellectiles involverentur, Ingridis phonodiscos a Fährnero collectos abiecit. Quod is demum animadvertit, cum novum habitaculum instruebant. Illa dixit se non pati potuisse istos phonodiscos, quos Fährner audivisset unâ cum aliis mulieribus. Itaque Fährner irâ est incensus. Per biduum ferê nihil inter se collocuti sunt.

Fährner diligebat claritudinem generis constructionis Bauhausiani – at illa habitaculum instruxit supellectilibus querneis pineisque, fenestris

praependebat cortinas êmitque pannos lectuarios versicolores. Fähler ipsa substramina acu picta poculaque stagnea non reprobavit, noluit uxori praecepta dare.

Nonnullis septimanis post Ingridis dixit sibi displicere modum, quo Fähler manibus teneret cultrum fuscinulamque. Is primo de hac re risit sentiens illam esse puellarem. At illa postridie iterum eandem rem vituperavit necnon diebus sequentibus. Cum Fähler animadverteret illam serio hoc vituperare, cultrum aliter tenuit.

Ingridis questa est illum purgamenta non auferre deorsum. Fähler autem studuit sibi persuadere tales res nihil esse nisi difficultates initiales. Paulo post Ingridis ei obiecit, quod sêro domum veniret. Fählerum amorem lusisse cum aliis mulieribus. Mulier non desiit maritum vituperare, qui mox cottidie vituperatus est. Eum esse negligentem, eum maculare camisias suas, eum ephemeridem perplicare, eum male olere, eum de nemine cogitare nisi de se ipso, eum stultê loqui, eum uxorem fraudare. Fähler vix iam conatus est se defendere.

Nonnullis annis post illa coepit dicere verba increpatoria. Primo submissê, deinde vehementius. Eum esse porcum, eum uxorem vexare, eum esse baburum. Tum mulier coepit loqui verbis obscaenis necnon maritum inclamare. Fähler desiit resistere. Nocte surgebat legebatque fabulas scientiae ficticiae romanicas. Rediit in consuetudinem iuventutis, qua alumnus academicus cottidie per unam horam exercitium fecerat cursitandi. Ex longo iam tempore non iam inter se concubuerunt. Fählero ab aliis mulieribus delatae sunt condiciones, sed Fähler non accepit. Triginta quinque annos natus a patre recepit medicatrinam, quadragenarius capillis erat canis. Fähler erat fatigatus.

-----

Cum Fähler haberet annos duodequingenta, pater eius mortuus est; cum haberet quinquaginta, mater. Heredio accepto êmit domum operis craticii in margine urbis sitam. Ad domum pertinebant parvum viridarium, frutices neglecti, quadraginta arbores mâli, duodecim castanae, stagnum. Hôc horto Fähler servatus est. Qui sibi mandavit libros, subnotavit periodica specialia et legebat omnia, quae poterant legi de fruticibus, stagnis, arboribus. Êmit instrumenta optima, studebat rationi irrigandi pernoscendae, et omnia didicit systematicâ cum subtilitate sibi innatâ. Hortus Fähleri infloruit et frutices in circumiectis tam bene innotuerunt, ut Fähler homines aspiceret peregrinos inter arbores mâlos versantes, qui ibi photographarent. Diebus inferiatis solebat diu



remanere in medicatrinâ. Arte medicâ Fähler utebatur subtiliter et humaniter. Aegroti eum magni aestimabant, eius diagnoses Rotovillae dicebantur esse exemplares. Fähler domum relinquebat, antequam Ingridis expergiscebat, neque redibat nisi post horam nonam vespertinam. Cenas opprobriorum plenas patiebatur taciturnus. Ingridis voce suâ metallicâ sine ullâ modulatione verba hostilia unum ad aliud addere non desinebat. Ea mulier pinguis facta erat, cutis eius pallida decursu annorum colorem duxerat roseum. Eius collum tumidum non iam erat solidum, ante eius gulam protuberaverat fibroma, quod secundum opprobriorum numerum huc illuc vacillabat. Mulier laborabat spiritûs defectione et pressione sanguinis nimium exauctâ. Fähler in dies macrescebat. Cum quodam vespere multis verbis commendavisset, ut Ingridis auxilium peteret a neurologo sibi familiari, illa in Fählerum iactata est sartagine rugiens eum esse porcum ingratisimum.

---

Nocte ante diem suum natalem sexagesimum ultimâ Fähler vigilavit. Qui exemerat photographema illud Aegyptium decoloratum: quo apparebant Ingridis et Fähler ante pyramidem Cheopis stantes, in recessu erant cameli et beduini philotheorum duces et harena. Cum illa abiecisset libros nuptiarum collectaneos, is hanc imaginem e situlâ purgamentariâ retraxerat. Ex illo tempore eam in armario suo servabat extremo.

Hac nocte Fähler intellexit se semper semperque, usque ad finem vitae suae mansurum esse captivum. Se in urbe Cairo dedisse promissum. Sibi nunc, ipsis diebus adversis, promisso standum esse; non exstare promissum, quod ad secundos tantum dies spectaret. Imago sibi visa est confundi. Fähler se exuit seque nudus speculo balneari obstitit. Diu se aspectavit. Deinde consedit in margine pyeli. Primum omnium, ex quo erat adultus, Fähler lacrimavit.

----

Fähler in horto suo laborabat. Aetate nunc erat annorum septuaginta duorum, duobus annis ante medicatrinam vendiderat. Ut semper, horâ sextâ surrexerat. Conclave convivarum – ubi ex annis iam habitavit – submissê reliquerat. Ingridis adhuc dormiebat. Tempus erat mensis Septembris antemeridianum lucidum. Nebulâ matutinâ remotâ aer erat clarus et frigidus. Fähler sarculo sariebat herbas malas fruticibus autumnalibus intersitas. Quod opus erat laboriosum varietatisque expers. Fähler erat animo contento. Gaudebat de cafeâ, quam, ut semper, in pausâ suâ, horâ nonâ cum dimidiâ, erat poturus. Fähler cogitabat de delphinio, quod severat tempore vernali. Fore, ut haec planta tertium floreret autumno exeunte.

Subito Ingridis raptim aperuit ianuam xysti. Mulier rugivit virum denuo oblītum esse aperire fenestram conclavis convivarum, eum esse prorsus stupidissimum. Vox mulieris erat scissa. Sonuit metallum nudum.

Fähler postea non exactê erat descripturus, quid hōc momento temporis cogitavisset. Postea dixit in animo suo abditissimo omnia coepisse illuminari durê atque acriter. Omnia hōc lumine sibi visa esse clarissima. Nitidissima.

Vir rogavit Ingridem, ut veniret in hypogeum, et ipse iniit per scalas exteriores. Ingridis anhelans intravit hypogeum, in quo vir servabat instrumenta hortulana. Quae aut fine atque magnitudine ordinata e parietibus pendebant aut purgata imposita erant situlis lamineis plasticisque. Haec instrumenta erant pulchra, quae annis transactis collegerat. Ingridis autem raro huc veniebat. Ea cum ianuam aperiret, Fähler tacitus asciam arborariam de pariete sumpsit. Quae oriunda erat e Suetiâ, erat manu fabricata, pinguamine uncta, ferruginis expers. Ingridis obmutuit. Vir adhuc gestabat asperas chirothecas hortulanas. Ingridis torpidis oculis asciam aspectabat. Eam non devitavit. Primo iam ictu, quo tegmen cranii est discissum, effecta est mulieris mors. Ascia cum fragmentis ossium medio cerebro est impacta, acie facies est divisa. Antequam in pavementum decidit, mulier erat mortua. Fähler cum aegrê id assequeretur, ut asciam e cranio mulieris extraheret, pedem collo eius imposuit. Duobus ictibus vehementibus illam decollavit. Medicus forensis postea notavit septendecim ictûs ceteros, quibus Fähler eguit ad brachia atque pedes amputandos.

Fähler graviter anhelabat. Îdem consedit in parvo scabillo ligneo, quo alioquin utebatur ad plantandum. Pedês scabilli stabant in sanguine. Fähler coepit esurire. Aliquando surrexit, iuxta corpus mortuum se exuit, in hypogeo ad aquaemanile hortulanum sanguinem eluit e capillis atque e facie. Hypogeo clauso per scalas interiores iit in habitaculum. Supra denuo vestimenta induit, elegit numerum necessitatis astynomicum, nomen dixit inscriptionemque suam et verbatim dixit: "Ingridem comminui. Statim venite." Eius telephonema est magnetophono receptum. Responsum non iam exspectans auscultabulum deposuit. Eius vox non erat excitata.

Astyphylaces sine sirenâ lumineque caeruleo paucis minutis post telephonema domum Fähleri advenerunt. Unus ex astyphylacibus munere fungebatur ex 29 annis, omnes cognati eius erant a Fählero curati. Fähler ante portam horti stans ei dedit clavem. Dixit illam esse in hypogeo. Astyphylax scivit melius esse nihil interrogare: Fähler gerebat synthesin vestium, sed neque calceos neque tibialia. Qui erat valdê quietus.

Causa iuridica facta est per quattuor dies. Iudex praesidens assisiae erat vir peritus. Qui noverat Fährnerum, de quo sibi erat iudicandum. Necnon noverat Ingridem. Si illam parum noverat, testes de illâ satis dixerunt. Omnis eorum Fährneri miseruit, omnis eum defendit. Tabellarius dixit se Fährnerum habuisse pro 'viro sancto', 'mirandum esse, quod eum istam mulierem tam diu passum esse'. Psychiater confirmavit Fährnerum laboravisse 'affectuum exaggeratione', sed non fuisse culpae incapacem.

Actor publicus petivit poenam custodiae octo annorum. Qui spatium temporis sibi concessit, fusê descripsit, quomodo facinus factum esset, vadavit per sanguinem, quo hypogeum abundavit. Deinde dixit Fährnero optionem fuisse, utram condicionem sibi eligeret; fieri potuisse, ut vir divortium faceret cum uxore.

At actor publicus erravit, nam hoc ipsum fieri non potuerat. Ordine causarum poenaliu reformato abolitum est ius iurandum, quo in causâ poenali verba dicta debuerant asseverari. Diu non iam credimus ius iurandum valere. Si qui testis mentitur, planê mentitur – nullus iudex serio cogitat hoc mutari posse iure iurando. Homo modernus videtur ius iurandum pro nihilo facere. At, et id "at" maximê valet, Fährner non fuit homo modernus. Is quod promiserat, promiserat serio. Is promisso suo obligatus erat per totam vitam, immo: factus est captivus. Fährner non potuit se liberare, nam liberare ei visum est prodere. Is vir iure iurando per totam vitam quadamtenus conclusus erat receptaculo, quod tamquam gaso nimium compresso diruptum est.

Soror Fährneri, quae me rogaverat, ut fratrem defenderem, in auditorio sedebat. Quae flebat. Fährneri assistrix quondam medicatrinae manum sororis tenebat. Fährner autem in custodiâ etiam macrior factus erat. Qui in scamno reorum ligno opaco confecto sedebat immotus.

In re ipsâ nihil erat defendendum. Agebatur de quaestione philosophiae iuridicae: Quae est causa poenae? Quare punimus? In defensione meâ studui causam invenire. Sunt permultae theoriae. Poenâ sumus deterrendi, poenâ sumus tutandi, poenâ auctor facinoris inhibendus est, ne iterum faciat, poenâ iniuria est compensanda. Lêge nostrâ hae theoriae inter se coniunguntur, sed hac in re nulla quadravit theoria. Fährner non iterum erat occisurus. Iniuria facinoris erat manifesta, sed difficilis erat perpensu. Et cui homini erat ulciscendum? Defensio facta est prolixa. Narravi Fährneri historiam. Volui curare, ut intellexeretur

Fähler ad finem pervenisse. Locutus sum, usque dum mihi viderer assecutus esse, ut iudices intellegerent. Scabino adnunte consedi.

Fähnero licuit dicere verbum ultimum. Causâ iudiciali exeunte iudices audiunt reum, oportet de verbis eius secum cogitent consulturi. Fähler manibus compositis caput inclinavit. Non ei necesse fuerat ediscere sententias, quae fuerunt summarium vitae suae:

»Uxorem amavi, et in fine eam necavi. Adhuc illam amo, quod hoc illi promisi, illa adhuc est uxor mea. Hoc non mutabitur usque ad mortem meam. Fidem fregi. Necesse est me vivere huius culpae conscium.«

Fähler consedit, obmutuit, pavementum aspectavit oculis torpidis. In oeco erat silentium, ipse iudex praesidens visus est anxius. Deinde îdem declaravit iudices se recepturos esse consultum, sententiam iudicalem postridie declaratum iri.

Hôc vespere Fählerum ultimo in custodiâ visitavi. Non iam multa erant dicenda. Ille secum attulerat involucrum perplicatum, ex quo traxit imaginem itineris nuptialis. Pollice perstrinxit faciem Ingridis. Tegmen supremum iam pridem a photographemate dissolutum erat, facies mulieris colore erat ferê albo.

---

Fähler damnatus est ad custodiam trium annorum, mandatum comprehensionis est sublatum, vir e custodiâ perquisitionis est dimissus. Licuit ei poenam luere completionem apertâ. Poena autem eo apertê completur, quod damnato in custodiâ est pernoctandum, sed die licet versari extra custodiam. Sed talis completio non conceditur nisi damnatus exercet opus professionale. Haud facile fuit invenire novam professionem, quae aptus esset ad virum, qui erat aetate septuaginta duorum annorum. Denique soror viri quaestionem solvit: Fähler officialiter annuntiavit se vendere poma – vendidit enim mâla in horto suo exculpta.

Quattuor mensibus post ad cancellariam meam allata est cista decem mâlis rubris completa. Involucro subiuncto infuit folium chartae singulum, cui inscripta erant verba haec:

»Hôc anno mâla sunt bona. Fähler«

**FINIS**

## INDEX VERBORUM RARIORUM RECENTIORUMVE

- āctor pūblicus** *Staatsanwalt; district attorney, public prosecutor.*
- Alpis Suēbica** *Schwäbische Alb.*
- amōrem lūdere cum aliquō** *mit. jm. flirten; to flirt with s.o.*
- aquaemanīle**, -is n. *Waschbecken; washbasin.*
- ascia arborāria** *Baumaxt; tree ax(e).*
- assēcūratiō vītae capitālis** *Kapitallebensversicherung; capital life insurance.*
- \*astyphylax**, -acis m. *Polizist; policeman.*
- auctor facinoris** *Täter; culprit.*
- \*auscultābulum**, -ī n. *Telefonhörer; (telephone) receiver.*
- autocīnētum Mercēdēsianum** *Mercedes(auto).*
- baburrus**, -ī m. *Schwachkopf; dimwit.*
- \*Bādēnio-Virtemberga** *Baden-Württemberg.*
- +beduīnus**, -i m. *Beduine; Bedouin.*
- \*cafea**, -ae f. *Kaffee; coffee.*
- Cairus**, -ī f. *Kairo; Cairo.*
- camisia**, -ae f. *Hemd ; shirt.*
- +cancellāria**, -ae f. *Kanzlei; chambers.*
- cēnula subdiālis** *Picknick.*
- \*chīrothēca**, -ae f. *Handschuh; glove.*
- circulus cultūs civīlis** *Kulturkreis; culture circle.*
- Coetus Leōnum** *Lionsclub.*
- complētiō aperta** – *offener Vollzug; open prison.*
- cōpa**, -ae f. *Kellnerin; waitress.*
- cortīna**, -ae f. *Vorhang, Gardine; curtain.*
- cranion**, -ī n. *Schädel; skull.*
- cursitō**, -āre *joggen; to jog.*
- custōdia perquisitiōnis** *Untersuchungshaft; remand, detention of a suspect.*
- cynēgesium**, -ī n. *Jagdrevier; shoot.*
- dēcollō**, -āre *enthaupten, den Kopf vom Rumpf trennen; to decapitate.*
- dēcolōrātus**, -a, -um *ausgeblichen; faded.*
- dēfectiō spīritūs** *Atemnot; difficulty in breathing.*
- delphīnium**, -ī n. *Rittersporn; larkspur.*
- domus conducticia** *Mietshaus; block of (rented) flats, apartment house..*
- domus operis crāticiī** *Fachwerkhaus; half-timbered house.*
- \*drōgopōla**, -ae m. *Drogendeale; drug trafficker/ dealer.*
- ephēmeris**, -idis f. *Zeitung; newspaper.*
- exaggeratiō affectuum** *Affektstau; emotional block.*
- fābula scientiae ficticiae rōmānica** *SF-Roman; SF novel.*
- ferrūgō**, -inis f. *Rost; stain.*
- \*fibrōma**, -atis n. *Hautlappen; lappet.*
- fistula**, -ae f. *Lauf (einer Flinte); barrel.*
- floccus**, -ī m. *Flocke, Faser; a tuft/ wisp of wool nōn floccī facere/pendere alqd./alqm. jm gleichgültig sein, sich nichts machen aus jm./etw.; to think of no importance, not to care a straw about.*
- fluentum ēlectricum** *elektrischer Strom; current.*
- +focīle**, -is n. *Flinte; shotgun, rifle.*
- genus cōstrūctiōnis Bauhausianum** *Bauhausstil; (a kind of architectural style).*
- grānātum**, -ī n. *Granate; grenade*

**homicīdium cāsuāle** *Totschlag; manslaughter.*  
**hypogēum**, -ī n. *Keller; cellar.*  
**\*iaccula**, -ae f. *Jackett; jacket, coat.*  
**incapāx culpae** *schuldunfähig; not criminally responsible.*  
**indūmenta coriācea** *Lederausstattung; leather upholstery.*  
**iter nuptiāle** *Hochzeitsreise; honeymoon.*  
**iūdex praesidēns +assisiae** *der Vorsitzende der Schwurgerichtskammer; presiding judge of the jury court.*  
**lāmina metallica** *Blech; sheet metal, metal plate.*  
**lāmineus**, -a, -um *Blech//, aus Blech: tin//.*  
**liber collēctāneus** *Album; album.*  
**\*magnētophōnum**, -ī n. *Tonband; tape.*  
**mandātum comprehēnsōrium** *Haftbefehl; warrant.*  
**manucla**, -ae f. *Abzug (eines Gewehrs); trigger. manuclam reprimere* *abdrücken; to pull/squeeze the trigger.*  
**+mediaevālis**, e *mittelalterlich; medieval.*  
**+medicātrīna**, -ae f. *Praxis (des Arztes); surgery, doctor's office.*  
**medicus forēnsis** *Gerichtsmediziner; forensic doctor.*  
**\*neurologus**, -ī m. *Nervenarzt; neurologist.*  
**nosocomīum circulāre** *Kreiskrankenhaus; district hospital.*  
**numerus necessitātis astynomicus** *Polizeinotruf; police emergency number.*  
**ōrdō causārum poenālium** *Strafprozessordnung; code of criminal procedure.*  
**pannus lectuārius** *Bettuch; sheet.*  
**pharmacopōla**, -ae m. *Apotheker; pharmacist.*  
**philothēorus**, -ī m. *Tourist; tourist.*  
**\*phōnodiscus**, -ī m. *Schallplatte; record.*  
**\*phōtographēma**, -atis n. *Foto; photo.*  
**\*phōtographō**, -āre *fotografieren; to photograph, to take photos.*  
**pinguāmen**, -inis n. *Fett; fat.*  
**pōculum stagneum** *Zinnbecher; pewter tankard.*  
**podium**, -ī n. *Erker; bay.*  
**pressiō sanguinis** *Blutdruck; blood pressure.*  
**psÿchiāter**, -trī m. *Psychiater; psychiatrist.*  
**pūrgāmenta**, -ōrum n.pl. *Müll; rubbish, garbage, waste.*  
**pyelus**, -ī m. *Badewanne; bathtub.*  
**raptor argentāriāe** *Bankräuber; bank robber.*  
**ratio irrigandī** *Bewässerungstechnik; irrigation technique.*  
**+reālītās**, -ātis f. *Wirklichkeit; reality.*  
**recessus**, -ūs m. *Hintergrund; background.*  
**Rotovilla**, -ae f. *Rottweiler.*  
**sarculum** -ī n. *Hacke; hoe.*  
**sariō**, sarīre *jäten; to weed.*  
**sartāgō**, -inis f. *Bratpfanne; frying pan.*  
**scabillum**, -ī n. *Schemel; stool.*  
**+scabīnus**, -ī m. *Schöffe; juror.*  
**scheda aegrōtī** *Krankenschein; medical insurance record card.*  
**\*sigarellum**, -ī n. *Zigarette; cigarette.*  
**Silva Nigra** *Schwarzwald.*  
**situla**, -ae f. *Eimer; bucket.*  
**situla pūrgāmentāria** *Mülleimer; rubbish bin, garbage can.*  
**stāgnum**, -ī n. *Teich; pond.*

**Stauferiānī**, -ōrum m.pl. *Staufer*.  
**+Stutgardia**, -ae f. *Stuttgart*.  
**substrāmen**, -inis n. *Untersetzer; coaster*.  
**succentūriō superior** *Oberleutnant; first lieutenant*.  
**+Suētia**, -ae f. *Schweden; Sweden*.  
**synthesis vestium** *Anzug; suit*.  
**\*tēlephōnēma**, -atis n. *Anruf, Telefongespräch; (phone) call*.  
**temperāculum automaticum** *Klimaautomatik; automatic air conditioner*.  
**thōrāx lāneus** *Pullover; jumper, sweater*.  
**tītulus tabernae prōpendulus** *Stechschild, Nasenschild, (Wirtshaus)ausleger*.  
**ventilābrum lacūnāris** *Deckenventilator; ceiling ventilator*.  
**verbum increpātōrium** *Schimpfwort, Beschimpfung; swearword*.  
**viridārium**, -ī n. *Park; park*.  
**xystus**, -ī m. *Terrasse; patio*.

## SENTENTIAE ORIGINALIS EARUMQUE VERSIONES LATINAE

«Die Wirklichkeit, von der wir sprechen können, ist nie die Wirklichkeit an sich».  
 (Heisenberg). - *Realitas, de qua loqui possumus, numquam est realitas ipsa.*

«Die meisten Dinge sind kompliziert, und mit der Schuld ist es so eine Sache».  
*Pleraeque res sunt difficiles, necnon de culpa difficile est iudicare.*

“Ich habe Ingrid klein gemacht. Kommen Sie sofort“. *Ingridem comminui. Statim venite.*

„Die Gewalterruption war das Bersten des Druckbehälters, in den er lebenslang durch seinen Eid eingesperrt war.“ *Is vir iure iurando per totam vitam quadamtenus conclusus erat receptaculo, quod tamquam gaso nimium compresso diruptum est.*

“Als sie kam, schlug sie ihm ins Gesicht“. *Mulier coitum patrans virum alapavit.*

**Fabulam, quam conscripsit *Ferdinandus a Schirach*,**  
**in Latinum convertit indiceque verborum instruxit**  
***Nicolaus Groß***

<http://www.leolatinus.com/>



**LEO LATINUS**

# DE RAPTORE HOTZENPLOTZI

Fabula Casparuli

quam theodiscê narravit

**Otfried Preußler**

in Latinum convertit

**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoria, quae appellatur  
**LEO LATINUS**

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur **LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM**



## De Raptore Hotzenplotzio

Hanc fabulam puerilem Theodiscê scripsit

**Otfried Preußler**

in Latinum convertit

**Nikolaus Groß**

„De Raptore Hotzenplotzio“ (titulus originalis: „*Der Räuber Hotzenplotz*“) est fabula puerilis Otfridi Preußler Germani auctoris. Haec fabula a. 1962 primum edita est.

Raptor Hotzenplotzius rapinationibus suis audacissimis territat homines totius regionis. Cum iste raptaverit etiam aviae machinulam cofeariam, Casparulus atque Iosephulus indignatissimi statuunt, ut raptorem capiant et tradant astyphylaci Dimpfelmosero. Infeliciter ipsi raptori Hotzenplotzio contingit, ut ambos capiat. Sed quia iidem integumenta capitum inter se permutaverunt, ipsi a raptore inter se confunduntur; ita fit, ut Hotzenplotzius malo mago Petrosilio Zwackelmanno sub nomine Iosephuli vendat Casparulum pro uno tantum sacco tabaci sternutatorii.

Casparulus, cum aliquanto post in castello magico forte fortunâ inveniatur fatam Amaryllidem, quae a mago in bombinam mutata est, non cessat illam adiuvere...

Haec fabula laureata, quae iocorum tam plena est tantamque habet expectationem, ut animi puellarum puerorumque audientium legentiumve vehementer soleant inflammari, usque nunc in triginta quattuor (34) linguas translata erat. Ergo haec versio Latina, quam manibus tenes, cara Lectrix, care Lector, est translatio Hotzenplotzii tricesima quinta eademque Latina. Si Tibi placuerit, commendamus Tibi alias versiones Latinas fabularum modernarum, quae in domo Leonis Latini editae sunt, e.g. “Recitatorem” Bernhardi Schlink (orig. “*Der Vorleser*”) necnon “Fragrantiam” Patricii Süskind (orig. “*Das Parfum*”) fabulas theodiscas veste Latinâ indutas.

Ergo visas, quaesumus, domûs Leonis Latini editoriae situm interretialem:  
**[www.leolatinus.com](http://www.leolatinus.com)**



Otfried Preußler, *Der Räuber Hotzenplotz*  
© 1962 by Thienemann Verlag (Thienemann Verlag GmbH)  
Stuttgart/Wien, [www.thienemann.de](http://www.thienemann.de)

Editio Latina:  
Copyright © 2013 by LEO LATINUS  
[spqr@leolatinus.com](mailto:spqr@leolatinus.com)  
ISBN 978-3-938905-33-3



# ***Recitator***

Fabula romanica  
quam theodiscê scripsit  
**Bernhard Schlink**

in Latinum convertit  
**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoriâ, quae appellatur  
**LEO LATINUS**

Senden in oppido Bavarïæ Suebicæ  
a. 2012

**Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistolam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: [SPQR@LEOLATINUS.COM](mailto:SPQR@LEOLATINUS.COM)  
Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
QUINQUAGESIMAM QUINTAM**

**EL 55**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT**

**d. Lunae, 9.m. Sept. a.2013**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.com/>**